Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26379
Copyright: Admont, Benediktinerstift



et habundantia peccati. Auribus grauiter audierunt.
quia uerbum domini ingrate susceperunt. Et oculos suos
clauserunt et post salutem non meruerunt. quia non na
tura sed uoluntate ceci sunt. Vestri autem oculi beati
usque quae auditis et non audierunt. Abraham esayas et
micheas prophetae uiderunt sed alonge aspicientes et
speculum in enigmate salutantes. apostoli uero dominum in presen
tiarum habentes non opus habebant per angelos aut per
uarias uisionum species doceri. Quos uero matheus prophetas
et iustos appellat hos lucas prophetas et reges nomina
uit. quia nimirum ipsi sunt reges magni qui intempressu
rarum suarum motus non consentiendo succumbere sed regendo
nouerunt preesse. Aliam parabolam proposuit illis dicens.
Simile est regnum celorum homini qui seminauit bonum semen
in agro suo. Bene similis dicitur. quia ei per omnia aptus esse
probatur. Bonum utique semen in agro corporis sui semi
nat qui semen bonae uoluntatis ad operum perfectionem per
ducere studet. Cum autem dormirent homines uenit
inimicus eius usque et abiit. Haec quidem sententia cau
tos nos esse admonet. ne dum torpemus inertia dia
bolus feditatem uitiorum super semen bonae uoluntatis
spargat. Cum creuisset herba usque inimicus homo hoc
fecit. Hic nobis patientiae exemplum prebetur. ut sicut pater
familias in dolo inimici paciens fuit. sic in aliqua
nos lesione non statim ad uindictam sed magis ad tolerantiam